Hankiewicz Jos. Andr.: Amazon divinior pro coelesti decertans patria —

AMAZON DIVINIOR

Pro Cælesti decertans Patria,

INCLYTA VIRGO

ET

MARTYR

CATHARINA,

In Basilica Casimiriensi ad Cracoviam
Ordinis FF. Eremitarum
SANCTI AUGUSTINI,
Recurrente annuâ suæ Festivitatis Die
Spectante Jllustrissima Magnorum Hospitum
Frequentia,

A

JOSEPHO ANDREA
HANKIEWIC,
Eloquentiæ Auditore in Alma Universitate Crac:

PROCLAMATA.

Anno Domini MDCCXXII.

Die verò 25 Novembris.

CRACOVIÆ, Typis UNIVERSITATIS.

In Stemma
ILLUSTRISSIMÆ
WODZICCIORUM DOMUS.



Æmula quòd Phœbi maneat WODZICCIA LUNA;
Jllam STELLA nitens non ſine luce præit.
Cornua bina ſui rutilans extollit in altum;
Fama DOMUS ut ſic creſcat in Orbe Lechi.
Celſa Leo retinens, galeâ qui proſtat Avitus,
Pro Patriæ curis excubat Axe datus.

PERILLVSTRI & REVERENDISSIMO DOMINO, D. MICHAELI DE GRANOW WODZICKI,

Ecclesiæ Cathedralis CANONICO, VICARIO in Spiritualibus & OFFICIALI Generali Cracoviensi, CUSTODI Vislicienſi, &c. &c.

Mecænati Amplissimo.

NUllibi vocalior potuit fieri *AMAZONIS Invictissimæ fama, nullibi Hæresum Triumphatricis magis publica evadere facta Sacratioris Bellonæ inclarescere Triumphi; quàm ad Tui* MICHAELIS *Tubam classicam, & simul ad* Gentilitia Sidera. Perillustris & Reverendissime Domine. *Certè Ejus rectefactorum merita luci patebunt meliùs publica, si commissa Tuæ, si Eam Po-*

lono hactenus Orbi aliqua adumbrabat obscuritas. Tuorum Planetarum *illustrabitur splendore*, à Tuis Astris *infallibilem sibi prognosim sumit; quòd licet in parvo opere, grandescet tamen, cui non Decrescens, sed Plenilunium Honorum* Gentilitia *indicat* Luna. *Nancisci gaudet* VIRGO Hæc *suæ gloriæ à Te incrementum, in Quo tenella ætas, Gyganteum animum, excelsas Virtutes nutriebat. Nôsti benè, quòd expediat interdum Natale solum negligere, ut sapientia inveniri possit. Quapropter ad eam acquirendam licet innatam Tibi habueris, ad Parisiensem properâsti Sorbonam; ubi ad Gallica Lilia, ver omnigenæ explicuisti eruditionis, ut in florem Scientiarum, in Musarum & Sapientum Coronam excreveris. Ne ergò mens erudita ingeniumq; Tuum ignoraretur sublime, ad Caput Orbis Romam TE contulisti, ubi ad* PETRI *Petram Tuam solidiùs firmâsti Sapientiam, adeò, ut cùm contra Te prævalere non potuerint, acuta oppugnantium ingenia, Victor laureatus in Capitolio Eruditorum evaseris. Nec etiam alibi Tuæ virtutes & modesta pietas, quam Orbis Lechicus in Te hodie veneratur, digniorem mereri potuit laudum apotheosim, quàm in tot Sanctorum & Beatorum Patria. Et cùm exteræ Nationes multos plerumq; alienigenas reddunt à Virtutibus, Te illis effecerunt affinem & domesticum. Exotici Soles aliorum denigrant mores, Tuos expoliverunt ita, ut Magnatū Lechiæ allicerent ad se Oculos. Et pro Te hæc maxima nisi nota fuerat, quòd omnia gemmis notanda gessisti. Proinde ut gemmeus moribus, imò potiùs gemma candoris & sinceritatis trinis Vavelli insertus extitisti Coronis, ubi* Gentilitio CELSISSIMI ŁVBIENII Episcopi Cracoviensis, DVCIS Severiæ Capiti, *mens consiliorum & anima penè fueras. Quidquid enim de bono cogitavit publico, Tuô sæpiùs exequabatur judiciô Hoc oneratum ingentibûs Diæcesanis curîs exonerabas, eidem plerumq; ceu fesso Alcides Atlanti succurrendo. Iuremeritò à summis, æstimari mereris, Ipse animi Tui dotibûs præcelsus, Sapientiâ spectatissimus, ingentibus meritis in Rep: exploratus, dexteritate agendi conspicuus, authoritate gravissimus, Nominis integri-*

gritate illibatus. Gestiunt ergò hæ Virtutes, quòd in tanto Hærede & Possessore factæ sint honoratiores. Tripudiat Sapientia, quòd magno Nomine Tuo decorata emineat & Tuo in favore æquè & in animo regnet. Exultat deniq; Iustitia, cujus in Areopago Sarmatiæ in D. Themidis Sacrario Aristidem *egisti. Si enim ipsa personam ageret Iustitia, non aliter legum sensus enodaret, non aliter ferret sententias, quàm Tu decernebas. Ita commisso Themidis utebaris acinace, ut licet ferires nemo tamen læsus, quia singuli à Te redibant redintegrati & restituti fortunis, ipsis nisi noxiis & sceleribus formidandus. Probatum sua in lance pondus Tui ingenij, adeò appretiavit & hucusq; appretiat Astræa, ut Te sui Vindicē in Areopago Cracoviensi non dedignata adorare. Ubi in componendis causis facillimus, in sedandis litibus dexterrimus, diligenti legum vigilantiâ Zelosissimus Toti audiris Diæcesi. Velata hæc Dea cæteris, Tibi patet oculata, cùm videat, quòd cuiq; suum præmium & jus sit tribuendum. Vitia & excessus rigidâ fugantur pænâ, ut rari jam vel nulli reperiantur, sola innocentia, forum standi coram Te occupat. Quis enim Te non judicet recti Ideam, præcipuam probitatis regulam, imitandum omnibus virtutum exemplar. Iudicabunt postera sæcula Tuas virtutes, rectefacta merita, & judicando mirabuntur humanum excedentia captum digna facinora: quia in Michaële penè Angelica. Unde etiam* SZANIAVIO *tanta felicitate arrides* AGNO, *ut Ejus aurei velleris per Diæcesim fortunatior* Iason *agnoscaris. Ac proinde non indiges Majorum illustrari Ceris, Tuis meridiantibus sat Clarissimus factis: siquidem his illi tantùm inclarescere gaudent, quorum vita aut deformibus vitijs, aut inerti obfuscatur desidiâ. Sufficit Tibi ad gloriam* Progenitores Tuos *meminisse* Illustrissimum LAVRENTIVM de Granow WODZICKI, Pocillatorem Varsaviensem, *Qui* Serenissimi *olim* IOANNIS III. REGIS POLONIARVM *in rebus agendis potens Brachium, in providendis bonis Patriæ oculus, in amore cor alterum aut anima dicebatur. Muneri suo satisfaciens hæc tractabat, quæ &*

 Re-

Regio Capiti *ad delicium & Patriæ ad salutem conducerent. Superbiunt hucusq; Templorum parietes, Divorum aræ prodiga* WODZICCII *liberalitate & in mutis etiam marmoribus immortalem famam promulgant.* ANNA Mater Tua *Dilectissima ex ipso Nomine Una verior Charitum credi potuit, quæ ex ipsis còalita videbatur esse gratijs. Illi ornatus maximus & pretiosissimus, modesta probitas & proba modestia, splendor præcipuus ab expolita morum integritate, jactantia non alia, nisi copiosa virtutum supellex. Inops ergò Oratoris ad tantam probitatum munificentiam dicendi copia; vocalis siquidem auri & argenti, in largas eleemosynas cultumq; Deorum erogati tinnitus, mutos pro suis elogijs, eloquentissimos redderet Tullios. Accedunt in augmentum* WODZICCIORVM DOMVS *coruscanti* LVNÆ *mutuum Lumen communicantia, tot* Illustrissima *Orbis Poloni Sidera,* de Przeremb PRZEREMBSCII, *qui Principibûs in* Primatibus *eminent in Regno titulîs, summis Senatorum* in Castellanis *attolluntur curulibûs,* in Capitaneis, Vexiliferis *subjugatam sibi immortalitatis tenent gloriam.* Gentilitio PRZEREMBSCIORVM Ensi *honorum militant Castra & omnia libertatis Polonæ decora* Aviti Pedis *substernuntur calcaneo. Unum pro cunctis pagina hæc loquitur Caput, meritorum in Patria ærarium, Virtutum Compendium, Martialium decus gestorum, in exteris lingvis & peritia morum alterum Mithridatem,* ILLVSTRISSIMVM ac EXCELLENTISSIMVM DOMINVM STEPHANVM in Przeremb PRZEREMBSKI S. Romanî Imperij Comitem, Palatinatûs Siradiensis Conariensem Castellanum, Szydłoviensem, Pierzchnicensem Capitaneum, *quem nisi propria gravarent merita, in altiores iret subselliorum gradus. Huic in vitæ sociam cessit* HELENA de Granow WODZICKA, Soror Tua *Dilectissima, Æstimatissima, quæ ex ipso Nomine Imperatrix magnarum qualitatum & dotum censetur esse. Decuit profecto Illam non alio nisi* STEPHANO *scilicet, hoc Diademate coronari. Non impar suæ Tutelari virtutibûs,*

quad-

quidquid aggreditur agere, nihil non Imperatorium, nihil non corona dignum. *Diem* Vestræ *accendunt* Lunæ TAGOBORSCII, *qui in honorum radiant meridie, Sole clarioribus Orbi* Lechico *splendent meritis, eumq; heroicis illustrant recteфactorum radijs. Sed absit hos exiguâ coarctare paginâ, qui vastissimas merentur Panegyres & singuli evidens operibus suis elaborant elogium. Nec etiam uno momento valent circumscribi, qui tàm multa sæcula suis fatigant facinoribus. Crisim deinde non effugerem encomiastes, si in hanc gemmas importarem piscariam, quæ sat dives suarum virtutum eminet thesauris: si Te Virum probitatum* Ectypum, *alienarum dotum depingerem coloribus. Advertimus adhuc omnem perfectionem* in ILLVSTRISSIMO FRATRVM TVORVM TERNIONE, *qui non noctem aut Eclypsim aliquam, sed meridiem purpureum sua præsagiunt* LVNÆ: ILLVSTR: & MAGNIFICVS DOMINVS CASIMIRVS de Granow WODZICKI, POCILLATOR VARSAVIENSIS, *intra Quem residenb gentes & nulla natio illi peregrina, cum omnes sibi per sui ingenij capacitatem fecit domesticas. Quantò verò studiò ferveat in* Patriæ *obsequia, ex Ipsius munere colligendum, quam si aliquando sitibundam adverteret, eam suis in desiderijs defacto non renueret refocillare, aut languentem suavi consiliorum Ambrosiâ reficere. Suspicimus* ILLVSTR: ac MAGNIFICVM DOMINVM IOANNEM de Granow WODZICKI, CAPITANEVM VSTIENSEM *certè* IOANNEM Suô Titulô Majorem, *cui maxima etiam negotia peragenda videntur esse minima: nec Illi elogium ullum sufficere potest, cujus merita in immensum extenduntur. Quid de* ILLSTR: ac MAGNIFICO DOMINO PETRO de Granow WODZICKI POCILLATORE CRACOVIENSI *Martios spirante ausus;* COLONELLO EXERCITVVM REGNI *censendum, cujus adamantinum pectus in ferreis tempestatibus*

ex-

experta Libertas Patriæ; *nunc verò commissam sibi moderatur cohortem & numerosa virtutum, prudentiæ, gravitatis, authoritatis ac morum conscribit Castra. Taceo hic* Monasticum *indicentes mihi* Silentium BEATIORES VESTALES, *de quibus publica sat loquitur fama,* Germanas Sorores Tuas, alteram CONSTANTIAM *sub* REGVLA FRANCISCI de SALES, *quam etymon nominis Ideam Virtutum imò ipsam denotat Virtutem;* alteram MARIAM CASIMIRAM, *quæ è* SERAPHICI FRANCISCI *ignibus* PHÆNIX SANCTIMONIÆ *ad Nidum* Æternitatis *evolavit. Sed præterire nequeo* FRANCISCAM, *quam vita commendat innocentissima, & licet alijs ætate impar, æquali in omnibus vestrûm respondet morum venustate, formæ & Virtutum decore. Tot ergo & tanta dum Orbi prælucetis* Sarmatico LVMINARIA DOMVM VESTRAM *facitis* CÆLVM, *in Quo* TV *uti* MICHAEL MOTRICEM *agis* INTELLIGENTIAM. *Ne verò &* VIRGO VESTRO *desit* Illustrissimo Zodiaco, *hanc in AMAZONE recipe CATHARINA, quæ ad* TVA *magis quàm ad Oratoria clarior fieri exambit* LVMINA. *Ipsa autem ut AMAZON* INVICTISSIMA *subjugatam fortunam, mancipatos Honores, tibi semper faciet ancillari. Insuper immortalis gloriæ rogos accendet triumphales. Ita precatur*

Perillustris & Reverendissimi
Nominis Tui ac Honoris,

Profundissimus Cultor
& humillimus Servus.

Author Operis.

ORATIO.

IMmenſa triumphalium DIVINISSIMÆ CATHARINÆ geſtorum magnitudo, ſolutam coarctat & captivat Eloquentiam. AA. Non enim eò poſſunt aut ferri eruditæ Rhetorum pennæ, aut pertingere acuti Oratorum impetus, quò ſuam VIRGO hæc Sanctiſſima extendit dexteritatem. Excedere vitium ſit in alijs, in ſola CATHARINA Virtus præſtantiſſima; quæ non ſolùm in terris Aſylum miſerorum, afflictorum Propugnaculum, infractum Chriſticolarum ſcutum, ſuorum cultorum ſeſe exhibet murum Aheneum; verùm etiam terras cùm exceſſerit, in mari navigantium felicior Cynoſura, naufragantium Portus, malignantium fluctuum ſcopulus, tempeſtatum ſumma adoratur malacia. Inſuper ad hujus Anteſignanæ Claſſica conjurati veniunt venti, & nutus CATHARINÆ eorum furori frenum ſunt, ac tenax anchora, adeò, ut Elementorum Domina credi poſſit. Tanta ergò CATHARINÆ capacitas, remotas quamvis

Tulliorum Metaphoras redigit ad angustias, cùm nullam similitudinem, aut proportionem cum rebus habeat sublunaribus. Hæc incarnata puritas venustate corporis ipsis assimilari potest Angelis; mentis & animi sublimitate, Cælestibus coæquari Intelligentijs. Protensæ abbreviantur Schinothenes, ubi nullâ circumscripta periodô verioris Palladis explicatur sapientia, superbientis svadæ minuuntur Auxeses, quibûs cumulatam innumerîs Virtutibûs, evenit laudare Virginem. Prorsus Regina animorum Facundia nunc agit CATHARINÆ mancipium, quam Rota illius tantam evexit in altitudinem, ut sphæram omnium excederet encomiorum. Hac Rotâ ceu Ixionis torquentur humana ingenia, eruditorum capita ad illam priùs experiuntur vertiginem, antequam CATHARINAM intra rotundos commatum concluderent ambitus. Nec immeritò, hic enim Circulus, non tempore, sed tota æternitate, mensuranda denotat CATHARINÆ merita. Si deniq; quispiam acutiori stylô vellet formare Panegyrim, hunc Ensis hebetat triumphatricis CATHARINÆ, omne illi eripiens acumen. Inermis nunc patet hastata Pallas, adstante armata Fortitudine CATHARINA, & nonnisi ante Illam legitur sterni in victimam. Et jamne subjugata, CATHARINÆ Nomini non militabis Eloquentia? jamne sterilescet dicendi Campus? minime, cùm Divinior Amazon Oratorio inducetur apparatu. Feras militanti Tuo Nomini suppetias DIVINISSIMA CATHARINA, & ut palmam reportem, porrigas auxi-

lia-

liatricem dexteram. Tu verò Auditor sapientissime, Tuum animum in benevolam attentionem, captivabis.

Conscribunt Heroum copias pro sua immunitate Vrbes, armatas numerant manus pro sua tutela Reges. AA. Induunt inquam sagîs Præsidiarios, ut ipsi præferant Togam. Lauru circumdant militum tempora, ut illis omne tempus floreat sub Olea pacis. Aggravant ferrô Cataphractorum lacertos, ut vel in molliori-bus securiùs decumbant plumis vel suas cervices gravi servitutis exonerent jugô. Jam Murales, Obsidionales, Navales, Civicas conferunt Coronas; modò tantùm pro Muralibus sua immunitatis tuta reportent signa; pro Navalibus aut Fortunatas Insulas, aut portum pacatæ teneant felicitatis; pro Obsidionalibus amplior libertati pateat campus; pro Civicis verò exulent peregrina pericula, & solum domestica semper incolatum teneat securitas. Novimus perbellè pro decumbente Philippo, Antipatrem excubare, pro terrore Orbis, terrebat hostium audaciam, fidelis Ephestio, pro Pyrrho, armatô Eloquentiæ stylô decertabat Cyneas, pro Roma, nonne ceciderunt Camilli, Fabij, Decij? ut in Caput assurgeret Universi. Pro Carthagine opponebat Annibal dexteram, ut præponeretur, dexteritate cæteris. Pro Athenis unus Achilles, Dux, Ensis, & Exercitus. Trojanorum vires una Hectoris roborabat potentia. At pro immunitate Vrbis in quadro positæ, quis ultricia movebit tela? pro Rege Regum, quis perduellionis vindex? quis iniquarum domitor

impetitionum? ſtetit hoc in caſu invictiſſima Amazon CATHARINA. Exerebat errorum cervicem pluſquàm ſepticeps hydra, ut unum Caput univerſale depreſſiſſet Eccleſiæ; verùm in Virgine hac Herculeas experta vires, totq; aduſſit & obtruncavit capita, quot contempſit & evertit impiorum Idola; tùm vel maximè, ſimulacra ſentiebant ſe cadere debuiſſe, dum CATHARINA proſterni ante illa renuiſſet; tùm temporis penitus abiêrunt in ruinam; quando CATHARINA immota, ad venerationem illorum ſtetit. Pluribus cultum Dijs metuit exhibere; nè Uni Vero eundem derogaret. Repudiavit Martem fictitium, ubi ſe ſe Domino deſponſaverat Exercituum. Turpem execrata Venerem, cui venuſtior arriſit Innocentia. Sicq; omnibus rebellis facta, uni Regi Regum vixit fæderata. Sileat jactabundam terror Orbis Alexander vanitatem, taceat evanidam gloriæ jactantiam, quòd contra imbelles quondam arma moveret AMAZONES. Non convenit enim victorum fronti decerpta ex impari Laurus. O parcam ſæculorum fæcunditatem! o temporum erga mortales injuriam! o invidam Aſtrorum terris Fortunam! ſi tunc tuliſſetis CATHARINAM, cui Orbis reſiſtere non poterat, Hæc reſtitiſſet robuſtiſſima; Eamq; AMAZONEM vincere, idem ſibi duxiſſet, ac totum ſubjugare, qua latè patet Orbem. Ingens ſiquidem CATHARINÆ animus & intra terræ ſphæram claudi terminariq; haud valuit. Sed quàm facilè virtus adverſatur ſceleri, tàm facilè inter ſceleſtos invenit hoſtes. AMAZONIS CATHARI-

 NÆ

NÆ Fortitudo, non jam Alexandrum magnum, ſed maximum, quia Maximinum eſt nacta, Cælo & ſibi adverſarium, & totam in ſe conſpiratam Alexandriam. Minimè tamen per hoc CATHARINÆ diminuta magnanimitas, imò irritavit quàm plurimos, ut populoſiorem retuliſſet triumphum, utiq; quò labor eſt major, gloria major erit. Nullius penè eſt adamas pretij, qui ad unius mallei ictum in fruſta diſſolvitur. Ad bonæ ſpei, vel fotunatas Inſulas provehitur oneraria navis, ſi non tantùm inſurgentes procellas, ſed allatrantes Scyllas & Charybdes ſuperaverit. Inter millena periculorum diſcrimina Hector promeruit famam: Hectora quis noſſet, felix ſi Troja fuiſſet. Primam itaq; contra AMAZONEM hanc DIVINISSIMAM expedit Tyrannus illecebrarum legionem, demulcet Illam blandô verborum ſuſurrô, mellifluo ſermone, voluptatum crepundijs, ſerenata fronte, ridente vultu; verùm ad tàm mollia blandimenta magis ac magis obduruit CATHARINA. Novit perbelle mellitum nectar fel eſſe virtutibus, jucundo ſermonis halitu candorem affici innocentiæ. Non fæmineum hac in parte pectus, ſed virile expertus Maximinus, nihil in CATHARINA muliebre, præter ſexum invenit. Patuit exinde Achillis imperterritus animus, cor Leonidæ impavidum, pectus Annibalis infractum, robuſtiſſimæ Herculis vires, adeò, ut quidquid attributorum ſuis in Heroibus mirabatur antiquitas, hoc totum in una concentratum ſpectaret CATHARINA, & quidem glorioſiùs. Illi ſanè pro evanida hæc im-

 pen-

penderunt gloria; AMAZON verò SANCTISSIMA, hîs pro æternitatis certabat corona. Hîc jam prostrata jacet Maximini illecebrarum legio, elusa versutiarum stratagemata; novam iterum restaurat phalangem, aptiorem dolum & occultiores struit insidias. Persvadet sibi etenim muneribûs aurôq; munita propugnacula & invicta expugnari fortalitia. Hîs ad animatum virtutum propugnaculum CATHARINAM admovet ballistas, hoc Sanctitatis Fortalitium dirui graviore intendit ariete, cùm dominatrices Virgas, purpurea paludamenta, aurô radiantia offert Stephanomata. Putatis forsan AA. hîs captivatum CATHARINÆ animum, in victimam se Deæ Fortunæ dedicâsse, auri sacram famem, avaras ad sui acceptationem traxisse CATHARINÆ manus. Sed absit tàm levis de CATHARINA opinio! non inermis contra Tyranni sese opposuit tela. Pharetratus AMAZONIS amor, magìs Illam ad Cæleste Capitolium, quàm ad sceptriferum Maximini Imperium invitavit. Clypeata fortitudo illa aurea retundebat jacula, galeatum mente integerrima caput ad aliud se non inclinavit diadema, nisi ad felicis æternitatis inæstimabilem circulum. Non latuit enimverò CATHARINAM, Imperatorijs virgîs mores vapulare innocuos, sub rosea Reginarum Chlamyde latitare spinas; quæ aut probitatum expungunt honestatem, aut lethali animam sauciant vulnere. Ergo plaudere jam deberes Victrix CATHARINA, jam jo occinere triumphale; nisi potius AMAZON Sanctissima reformidandum Tibi sit. En ecce intumescens Tyranni animus, aspe-

aſpera frons, inhorreſcens vultus, turbidæ oculorum nubes, accenſæ iræ, ipſa nonniſi portendunt fulmina. Induit Maximinus ferocem animum, vix non Acheronta movens, franget Te armata minîs violentia, quam blandæ erexêre illecebræ, extorquebit inſtructa verberibûs crudelitas, quod non valuerunt præmia. Geminus itaq; cum Maximino CATHARINÆ conflictus, geminam victoriæ decerpſit palmam; Cui dum nulla ſpes ſe ipſo reſtaurandi devictam aciem patet, nulla ars nullumq; ſtratagema ſubjugandi AMAZONEM inſuperabilem, conducit ex Orbe toto ſuppetias, conſcribit electorum capita, ingenioſiſſimos colligit Athletas. Et bene: CATHARINÆ ſiquidem virtus toto Orbe divulgari meruit, nec unius Provinciæ valuerunt ejus merita terminari limitibûs, quibûs pro univerſali ſudavit mortalium bono. In CATHARINA moles verſabatur Univerſi, cùm pro Fide & Cultu Divino agеretur. Adſunt Orbis Ethnici Atlantes, comparent validi Sapientiâ Heròés: time, time CATHARINA, periculoſa cum ſcelere virtuti concertatio, horrenda ſimplicitatis Chriſtianæ cum mundi Sapientibus diſputatio, metuenda cum Viris Fæminæ colloquia. Timendum Chriſticolis, Catholicæ formidandum Eccleſiæ, ne hîc ſpes Ejus procumbat in AMAZONE ſacerrima; quæ cornutîs petetur dilemmatibûs, acutîs perverſæ ſectæ impugnabitur conceptibûs, captioſîs ab aſtutîs Sophiſtis convincetur argumentîs, ac cedet in ſpolium Tyranno & direptionem, cedet in rapinam & prædam carnificum. Sed aliter factum

ctum eſt, triumphaturos Victores, victos advertite; ecce ſapientiſſimis CATHARINÆ convicti rationibûs, implicati Gordijs perplexitatum nodis, in captivos ſe ſubijciunt & mancipia. Ringere, indignare acephala modò Hæreſis, quæ in tot Sapientibus caput & cerebrum amiſiſti. O ingentem victoriam! o ſtupendum triumphum bellatricis CATHARINÆ! quæ multò plura devaſtavit Delubra, evertit dedolata Numina, ſacrilegas ſectarum confutavit & annihilavit victimas, quàm quot ſubtraxit eis defenſores in quinquaginta Sapientibus. Taceant Oratorum Cathedræ cum ſuis torquibus Gallicanos Hercules, quibûs in ſui affectus mortalium protrahebant corda; taceant cum ſuo dicendi acumine Cyneas, quô Pyrrhi ſuæ poteſtati ſubjugabant Provincias; ſileant cum roſis Hortenſios, mellitos Demoſthenes, qui voluptatem Auditorum ingerebant pectori. Longè convenientiùs hæc victrici tribuere poſſumus CATHARINÆ, quæ ducentos cum Porphirio milites ſuæ Facundiæ ſtylô æternitatis inſcripſit faſtis. Totum enim id, quidquid vniverſi habent Lycæa, quidquid Sapientum valent acumina, in hac veriore Pallade eſt legendum; imò nec in terris id inveniri poteſt, quod in CATHARINA æterna depoſuerat Sapientia. Sed parum eſt ſolos Bellatores, aut Duces militare CATHARINÆ Nomini: niſi etiam & Imperatrices ſuas conſcribat ad copias, ad quas convocavit Auguſtam, ut vel Ejus facinorum dilataretur auguſtiùs fama, vel ut manifeſtet, Mundi Dominas probitatibus debere ancillari.

Spe-

Spectate tamen inconstantis sortis vicissitudines & vertumnum temporis statum, quô vix captivamus alios, nos ipsi deinde captivamur; vix in spolium & prædam victores victos ducimus, mox ducimur victi: modò victoriosum pæana canimus; nunc inter tristes lamentamur Næ-nias. Luge tuam infelicitatem tota Christianitas, tua Tutelaris, infractum Columen, tua penè Anima damnatur ad carceres; plora quamvis exoculata Fides Catholica, tuæ frontis pupilla ad tenebras conijcitur; minimè tamen desperate. Utiq; Soli non obsunt nebulæ, nec luci tenebræ adimunt quidquam; etiam CATHARINA lux vestra sereniores Vobis post carcerum umbras accendit dies. Non enim aliter AMAZONEM sese alteram exhibere potuit, nisi ad obsidionales excubias. Quod maximum, ne incruentum esset hujus Sacratioris Bellonæ prælium, ad Virgas, cædem, verbera Tyranni rabies destinat Eam; Cui quot inflixit vulnera, tot portas aperuit triumphales, effususq; è lacerato corpore sangvis ad majores animavit ausus. Paret Maximinus tormenta, expediat catapultas, non deterrebit Civem hanc SANCTISSIMAM à Cælesti Patria. Hæc terriculamenta contristare possunt AMAZONIS non vincere aut superare animum; hæc apparamenta sunt ad insigniorem invictæ hujus Virginis triumphum. O dignam Ixionis rotâ Tyranni crudelitatem! quæ suppliciali rotæ addicat CATHARINAM. Et bene, tantæ Triumphatrici currus debebatur triumphalis, quô Ejus fama per totum Orbem veheretur.

Non aberrâsti Tyranni impietas, ejusmodi circulo inserenda fuerat Hæc Bellatrix strenuissima, ne ab immortalitatis deviâsset termino. Nullo certè aliô Ejus valent comprehendi merita nisi hoc æternitatis symbolô. Non invidendi hîc Cæsari Antonio Aureliano currus eburnei, quibûs ad Romanum invehebatur Capitolium; AMAZON pro Cælesti decertans Patria hoc vehiculo ad Empyreum inducenda fuerat Capitolium. Et certè cum Corpore importaretur ad Astra Angelorum manibûs, nisi illos suorum meritorum pondere gravaret. Undè tantùm in excelso Sinai monte Clarissimo Victorijs funeri parentat Cælum, ut vel exinde prospiciat Christianitatis commodis, vel vigiles peragat excubias, nè in Illam adversæ Hæresis irruat hostilitas. Cùm verò non disparem sibi in Sapientiæ & Virtutum heroicis Actibus advertit Sacertimam Augustini Militiam, perpetuò hîc locavit inscripsitq; stativa. Nec immeritò, non ignorabat, etenim è Divinissimi Doctoris flagrante corde, rogos sibi perpetuò accendi triumphales, & ex singulis Vestrûm Patres Religiosissimi animata erigi trophæa. Quotquot hîc numerantur Viri, tot infractî pro Fide Heròës, errorum Profligatores, Domitores Hæresum, Eradicatores sectarum. Quoties enim acutis Argumentorum telis, Ecclesiæ impetunt Hostes, toties eos vel captivant militanti, vel sic in acie relinquunt saucios, ut nunquam amplius rebelle possint erigere caput. Sed quæ Oratorum incisa Hujus Sanctissimi Ordinis comprehendent integritatem, quæ Rhetorum periodi

di Ejus Virtutum concludent copiam? quæ narrationes explicabunt merita? nullæ penitus nullæ. Ea enim peragunt in vita, quæ mortalium excedunt mentis capacitatem, & Cælestibus penè coæquantur. Debet Petri Cymba perpetuum & triumphale celeuſma non minùs CATHARINÆ, quàm Hujus Sacræ Familiæ Navarchis vigilantiſſimis, quòd felicis tranquillitatis hucuſq; teneat portum. Debebit Tibi AMAZON Sanctiſſima, & Tota triumphum Polonia, ſi Ei Virtutũ Sanctarum Fortalitium tribues munimen & ſecuritatem, ſi Regnum hoc aut Pacis oleâ aut victricibûs Laureîs coronabis. Sub quibus à quovis infortuniorum fulmine maneat tutum. Si deniq; Cives & Proceres hujus Patriæ proſpicies gratiosè in qua ego Te AMAZONEM pro cæleſti Patria decertantem hebetis ingenij ſtylô exaravi &

DIXI.